



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput X. De pio Fratre, quem præfatus Prior investivit, qui & libenter orare
consuevit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

CAPUT IX.

*De miraculo, quod contigit eodem die, quo præfatus
Prior duos Clericos investivit.*

Nunc miracula, quæ sub regimine prædicti Prioris ob merita
Beati MEINULPHI contingebant, annexere non displiceat :
quodam namque tempore, cum præfatus Prior duos Clericos
pro religione satis idoneos disposeret investire, & benignus
existens in die dictæ investitionis aliquid cibi lautioris conventui suo
libenter procurasset, sed hoc facere non valens sese cum suis Fratri-
bus sustinuit patienter: Et ecce pius Dominus patientiam sui Vicarij
remunerare volens peracto prandio, eadem, quâ investitio facta fuit,
die lupi cervam de sylva expellentes insectationibus suis eam versus
Monasterium Bøddecense fugam facere compellebant, & cum eadem
cerva propè dictum Monasterium pervenerat, prædicti lupi celeriter
eam necarunt; quo facto unus devotus Laicus casu superveniens di-
ctos lupos abigebat, Quod cum prædicto Priori indicatum fuerat,
ipse DEO grates referens, cuius pietati hoc adscribebat, multum læ-
tabatur: nam quia circa prædictam investitionem Prior ejusque Con-
ventus de exigua mensa contenti erant, pius Dominus patientiam
eorum amplioribus cibis recompensare volens, cervam suâ dispositio-
ne ipsis in esum adduci fecit, de cujus carnibus non solum investitio-
nis die (quò ipsis præsertim lætandum fuerat) sed & tribus sequenti-
bus diebus, quibus vesci carnibus licitum erat, sufficienter sunt refecti.

CAPUT X.

*De pio Fratre, quem præfatus Prior investivit, qui
libenter orare consuevit.*

Alius Frater nomine Conradus, qui cum altero defuncto sanctæ
Religionis habitum acceperat, moribus gravis, sermonéque
maturus ex dono DEI non solum humili ac devota sua con-
versatione, verum etiam in forinsecis suis operibus, cunctis,
qui

qui secum conversati fuerunt, veræ religionis formam ostendere non tardavit. Hic est ille Frater qui ad devotè orandum à DEO gratiam habuit specialem, & idcirco talentum, quod acceperat, expendere utiliter volens alios ad sapiùs orandum multimoda sua sollicitudine ferventer hortabatur; & quia idem Frater specialis cultor Beatissimæ Mariæ Virginis erat, ideò ubicunque cum Fratribus suis, aut etiam Laicis externis laboribus insudabat, ut Virginis Gloriosæ festa à collaborantibus legerentur, procurare non cessavit, & ita per prædicti Fratris piam sollicitudinem in sæpè dicto Monasterio talis laudabilis adhuc observatur consuetudo, ut tam Fratres quàm Laici circa labores suos externos ad laudem & honorem ejusdem Gloriosæ Virginis festa non omittant, & qui in isto exercitio negligens fuerit, aut etiam collaborantes (ut hujusmodi bona consuetudo Beatæ Virginis per omnia placens conservetur) minimè incitaverit, quid à corpore exutus pro mercede sit recepturus, ipse viderit. Nam reor quòd hi, qui B. Mariæ Virgini festa devotè legunt in hac vita, non solum in hac vita gratiam, sed & speciale præmium ab ea recipiant in futura. Jam de prædicti ferti utilitatè audi clarè factum miraculum: In Monasterio Beati MEINULPHI quidam erat Laicus unus de continuis ibidem Commensalibus nomine Petrus, qui in tantum hydropica lue laborabat, ut à medicis vita ejus desperata fuerit; hoc judicium medicorum dum infirmo relatum fuit, more prudentis viri (quia humanum sibi auxilium deesse considerat) ad divinum celeriter se convertit, in genua namque suà prostratus B. Virginem Mariam infirmorum salutem humili voce implorans ait: *O Virgo Maria impetra mihi gratiam apud Dominum Jesum Christum filium tuum, ut de hac infirmitate reconvalescā, & ego omni die, quoad vixero, unum sertum tibi legam.* Qua promissione factā statim auxilium adfuit Virginis Gloriosæ, & ecce sequenti nocte prædictus infirmus omnem superfluum humorem (quo corpus ejus intumuit) per consuetum urinæ meatum in tanta quantitate à se emittebat, quòd de eodem humore integra urna repleta fuerit, & sic idem infirmus auxilio Virginis Gloriosæ pristinae sanitati restitutus, postmodum longo tempore sanus corpore supervixit. Ex hoc igitur insigni facto elucescit, quantum B. Mariæ Virgini placeat, si homo ipsi in dies sertum persolvat.

Ut autem notum fiat, quid sit sertum, noverint universi; quòd

H 2

præ-

prædictum sertum ex 50. Angelicis salutationibus, & 5. Dominicalibus orationibus interpositis constituatur. Præponuntur etiam simul Dominicis orationibus *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison*, & singulis Angelicis salutationibus ista clausula, quæ hinc sequitur, præponi debet: *Ave benigne Jesu cum omnibus dilectis sanctis tuis.* Dein *Ave Maria, &c.* qui ergo sertum recitare cupit, sic incipit: *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster,* dein *Ave benigne Jesu,* ut supra, postea 10. *Ave Maria.* Sicque per omnes decades. Prædicta reassumuntur, donec quinque Dominicales orationes, & 50. Angelicæ salutationes persolvantur; quibus omnibus sic lectis subjunguntur Antiphona: *Salve Regina, &c.* cum versu: *In omnis tribulatione, &c.* Collecta: *Interveniat pro nobis Domine Jesu Christe nunc & in hora mortis nostræ apud tuam clementiam Gloriosissima Virgo Maria Mater tua, cujus sacratissimam animam in hora benedictæ passionis & amara mortis tuæ gladius doloris pertransiit.*

Adjuvet nos quesumus B. Mariæ semper Virginis intercessio veneranda, & à peccatorum vinculis absolutos tua faciat pace gaudere, per eundem Dominum, &c. Nos cum prole pia, benedicat Virgo Maria: *Anima omnium fidelium Defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace.* Nota, quod tempore Paschali pro supra dicta Antiphona, & Collectis ponatur Antiphona *Regina Celi, &c. Post Partum.* Collecta: *Concede nos famulos, &c.*

C A P U T XI.

De miraculo, quod circa prædictum Fratrem contigit.

Postquam prædictus Frater Conradus Froherle DEO disponente ad Monasterium Beatissimæ Virginis Mariæ in Herzhagen ex obedientia ad ibidem habitandum destinatus fuit, adhuc ampliora suæ devotionis indicia circa ipsum manifesta reddebantur: nam quodam tempore, dum in præfato Monasterio cum Fratribus ad parietem faciendam laboraret, minus providus stipitem dicto parieti inter duos trabes imponendum nimium breviavit, ita ut in loco, quo stare debuerat, minus utilis haberetur. Quapropter satis ob hoc doluit, & culpam suam recognoscens de damno, quod fecerat,